

seipio concidere; & consequenter ex contrariis veris à nobis & nunc jam, & in probatione propositionis stabilitis, ita emendandum esse: quod cum inter Crentenses, Afianos, Philippenfes, Hierosolymitanos, Antiochenos, Romanos toto Apostolorum Sæculo tale esset regimen, ut singulari Episcopo tota subiceretur Fraternitas, qui Presbyteros ordinaret, cuique ipsi parent; idem regimen eodem sæculo, & consequenter ex Christi institutione ubique gentium viguisse.

43. Ad VI. Resp. & quidem primo ad dilemmatis primam partem: Si nomine Presbyterii intelligatur Presbyterorum Cœtus, per Presbyteros Apostolum hic non intelligere Sacerdotes secundi Ordinis, sed Apostolorum Collegium, quod S. Ignatius in ep. ad Philadelph. Presbyterion *ses Ekklisias* nuncupat: vel Apostolicorum Virorum, seu Episcoporum Cœtum, qui simul cum S. Paulo Timotheum ad Episcopale munus consecrarunt; eo quod S. Petrus, & Joannes ex mox dictis se Presbyteros vocitent, & de S. Paulo & Barnaba Act. 14. v. 23. dicitur: *Eos per Civitates Presbyteros constituisse*. Cum ergo de S. Ignatio affirmet S. Joan. Chryf. ipsi à Beatis Apostolis manus impositas fuisse, nil obstat, quo minus id, quod Pauli & Barnabæ, aliorumque Apostolorum, aut Virorum Apostolicorum seu Episcoporum manibus factum fuit, per manuum Presbyterii impositionem factum esse dicatur. Et hinc S. Chryf. hom. 13. in 1. ep. ad Timotheo. de Episcopis, quales adultæ habuit Ecclesia, hunc locum exponit, inquit: *Non de Presbyteris isthic loquitur; neque enim Presbyteri Episcopum ordinabant*. Suffragantur Cœcumenus, & Theophylactus in eundem locum. Ad secundam dilemmatis partem dico, gratiam Timotheo collatam fuisse Episcopalem, nomine Presbyterii sumpto pro Episcopali Charactere, qualem habuisse Timotheum nemo negare potest, esto conformiter ad eam ætatem, & ad

exemplum Petri & Joannis Presbyter dicitur.

44. Ad VII. Resp. negando totum: Diotrophes enim non solum comparibus suis, sed & ipsi Joanni Apostolo præponi voluit. *Diotrophes*, inquit, *non recipit nos*. Quid igitur hoc ad Primum Episcoporum consequentiæ habet, qui Apostolis suam auctoritatem, & dignitatem sartam tectam relinquunt, sed ut Apostolicæ dignitatis hæredes in Ecclesia Dei præsidere?

45. Oppugnat II. Blondellus eandem Catholicam propositionem ex SS. Patribus, objicitque II. testimonium S. Polycarpi in ep. ad Philip. apud Eusebium lib. 4. c. 15. in qua ait: *Subjelli estote Presbyteris & Diaconis, sicut & Deo, & Christo*. In qua epistola cum primo nulla Episcopi Philippenfium mentio fiat, & secundo duo tantum Christiani Cleri Ordines recensentur; manifestum esse, ait, Philippenfium Presbyteros Ecclesiam in commune rexisse.

46. Respondeo, Polycarpum, Apostolorum discipulum, sui temporis more, Presbyterorum nomine etiam Episcopos intellexisse; cum id utriusque Ordini commune esset. Et hoc quidem inde manifestum fit, quod ipse Polycarpus ab Eusebio eodem lib. 4. Hist. Eccl. c. 15. dicitur *Catholica Smyrnenfis Ecclesia Episcopus*; & Iræneus, qui adhuc juvenis se Polycarpum vidisse ait, apud eundem Eusebium lib. cit. c. 14. testetur, eum ab Apostolis ordinatum Smyrnenfis Ecclesiæ Episcopum: continente Hieronymo in Catalogo Scrip. Eccl. cap. 27. quod certe factum non fuisset, si tempore Apostolorum non fuissent singulares in Civitatibus Presbyteri, seu Episcopi, juxta hodiernam ideam.

47. Objectio, quam ex Epiph. hæresi 42. de forma Regimini Ecclesiastici auctoritati Polycarpi subnectit idem Blondellus, in qua Presbyteri Romani Patrem Marcionis Episcopum Ponti *Collegam* vocant, ipseque Marcion hæresiarcha non Romanum Pontificem, sed Presbyteros pro

pro sui in communionem receptione interpellat; non juvat, sed jugulat Blondelli sententiam: ex illa siquidem historia constat, hunc Marcionis Patrem Catholicum in Ponto fuisse Episcopum, ipsiisque Marcionem Romanum tempore interregni Pontificii venisse, nempe, post mortem Hygini Papæ; adeoque in duabus Ecclesiis Episcopos singulares existisse. Adivit autem stuprator Marcion Presbyteros Romanos; quia illorum Ecclesia, ob dictam Hygini mortem tum erat Acephala; iidemque Presbyteri ejusdem Patrem Episcopum vocarunt Collegam ratione communis Sacerdotii, non Gradus, quemadmodum S. Augustinus, S. Hieronymus, Deogratias, Sixtus, Casulanum secundi Ordinis Sacerdotes suis in epistolis vocat Compresbyteros.

48. Objicit III. auctoritatem Justini Martyris Sæculo II. viventis, qui in Apologia pro Christianis, Romanis Imperatoribus oblata, Ecclesiarum sui temporis statum, & mores graphice describens, ait: *Postea fratrum Præposito panis, & poculum offertur, &c. item postquam Præpositus gratias egit — qui inter nos Diaconi vocantur, dant unicuique, &c.* Ex quibus Blondellus colligit, binos tantum Christiani Cleri Ordines fuisse Justini tempore, Præpositorum nimirum, seu Episcoporum, & Diaconorum; ceteros priores etiam Presbyteros appellare placet.

49. Resp. negando illatum. Cum enim S. Martyr ibi de consecratione, & distributione Eucharistiæ sermonem tantum haberet, non erat necesse, ut omnes Ecclesiæ Ordines recenseret. Cum autem suo tempore Profotos, seu Præpositus singularem etiam Episcopum significaverit, ut apud Dionysium Corinthi Episcopum, qui 40. circiter annis post S. Ignatium floruit, in ep. ad Athenienses apud Euseb. lib. 4. c. 23. & apud Epiph. hæresi 27. & in Concil. Ephes. Act. 8. potuit & Justinus singularem Episcopum eodem vocabulo indigitare, Synaxim cum Grege agentem.

Tom. I.

50. Objicit IV. Authorem (ut ipse ait) epist. ad Magnesianos, S. Ignatio adscriptæ, aut, secundum nos, ipsum Ignatium Collegium Presbyterorum vocare Christi Legem; novellam vero institutionem eam, quæ suo tempore Episcopum Presbytero præponebat: igitur ante tempus hujus Authoris, seu circa Sæculi I. modium, aut tempore Apostolorum Episcopum Presbyteros non præcedebat: in qua re cardo præsentis questionis vertitur.

51. Resp. I. Episcopatum, ut Presbyteratu superior est, tunc quidem novellam institutionem fuisse, cum S. Ignatius ad Martyrium duceretur, quo tempore hanc ep. scripsit. Sed cum id intra 75. annos post resurrectionem Christi contingeret; nihil obstat, quin fuerit ex Christi institutione, & tamen dici poterit recens.

52. Resp. II. S. Ignatium nunquam vocasse Episcopatum novellam institutionem. Scopum enim sibi in hac ep. præfixit Episcopi, qui moribus senex erat, juventutem non esse contemnendam: non vero Ordinis Episcopalis novellam esse institutionem, quem ubique à Christo institutum agnoscit (N. 28. h. T.); de Damascio enim Magnesianorum Episcopo loquitur, quem se vidisse ostendit, atque ab eo Presbyteros apertis verbis ibi distinguit, Damascum ab illis honorem exhiberi profiteretur: edit. Venetz de A. 1546. pag. 11. Nec vox Neoterike turbare debet, Tō enim Neon, unde illa composita est, ex accuratissimis Interpretibus non tantum novum, sed etiam *juvenile* significat.

53. Objicit V. testimonium Viennensis, & Lugdunensis Ecclesiæ in ep. per S. Irenæum Sæculo II. ad Eleutherium Romanum Episcopum missa, apud Eusebium lib. 5. c. 4. in qua ejusdem Ecclesiarum Presbyteros Irenæam fratrem suum appellare dicit, esto jam in Cathedra Phoini, Episcopi Lugdunensis, sui Prædecessoris, novennio federit.

54. Resp. Blondellum mentiri, cum

Yy

Ire-

Irenæus, dum hac ep. perferret, non esset nisi simplex Presbyter, eo quod data fuerit ad Eleutherium, Photino Irenzi Antecessoris adhuc superite, ut equalitet tenor narrat, & testatur S. Hieronymus in Catal. Script. Eccl. c. 45. Irenæus, iniquiens, Photini Episcopi, qui Lugdunensem in Gallia regebat Ecclesiam, Presbyter, à Martyribus ejusdem loci ob quasdam Ecclesie questiones Legatus Romam missus, honorificas super nomine suo ad Eleutherium Episcopum perfert literas. Postea: Jam Photino prope nonagenario ob Christum Martyrio coronato, in ejus locum substituitur.

55. Objicit VI. auctoritatem Irenzi, qui variis in locis, ut ipse præterdit, antiquam de Episcopatus, & Presbyterii identitate sententiam videtur exprimere. Nam lib. 3. adversus Hæreses cap. 2. dicit: Traditionem Apostolicam per successionem Presbyterorum in Ecclesiis custodiri. Lib. 4. c. 43. Presbyteros asserit successionem habere ab Apostolis; & cap. 44. Presbyteros nutrire Ecclesiam, de quibus Propheta ait: Dabo Principes tuos in pace, & Episcopos tuos in justitia. Denique ep. ad Victorem Romanum Pontificem, Prædecessores Soteris, Anicetum, Pium, Hyginum, &c. vocat Præpositos Presbyteros.

56. Resp. S. Irenæum Presbyterorum vocabulo, quod honoris interdum nomen est, quodque primo, & secundo Sacerdotum Ordini primis illis Ecclesie sæculis commune erat; singulares Episcopos, juxta modernam, quam de illis habemus ideam, intellexisse. In plerisque enim locis, ac præsertim in ultimo, Episcoporum singularium successiones ab Apostolis adstruere intendit, Polycarpumque, & alios similes ab ipsdem Apostolis constitutos Antilites Apostolis convixisse. Et certe, Sacerdotis, seu Presbyteri nomen primis, mediisque sæculis singularibus Episcopis attributum fuisse, obviæ produunt monumenta Ecclesiastica. Irenæus ergo hoc in loco Blondelli signum jugulat.

57. Objicit VII. auctoritatem Clementis Alex. qui lib. 4. & 6. Stromatum duos tantum Ecclesiasticos Ordines videtur agnoscere, Presbyterorum nempe, & Diaconorum.

58. Resp. S. Patrem his in locis Presbyterorum nomine duos Ordines, seu duos Sacerdotii Gradus significare, Episcopatum, & Presbyteratum, quibus Diaconos adjungit: sed paulo post tres illos Ordines aperte distinguit: Quoniam, inquit, & hic in Ecclesia progressionem Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum mutationes sunt gloria Angelice, ut supra N. 30. vidimus. Cur igitur Blondellus voluntarie cœcutit cur lacuonum textum asserendo, aliis ex profero imponere intendit?

59. Objicit VIII. auctoritatem Tertulliani, qui in Apologetico c. 39. Præsident, inquit, probati quædæ Seniores, honorem isti non pretio, sed testimonio adepti. Et lib. de Corona Militis: Nec de aliorum manu, quam Præsidentium Eucharistiam sumimus: vult dicere Presbyterorum, qui soli Eucharistiam conficiunt. Eodem Præsidentium titulo Presbyteros donat lib. de Jejunii cap. 17. Ergo tempore Tertulliani Ecclesie à comparibus Presbyteris regebantur.

60. Resp. Tertullianum in primis duobus locis non tantum Presbyteros, sed etiam his majores Episcopos intelligere; de Synaxibus enim Christianorum, seu Eucharistis agit, in quibus, ubi non erat adhuc constitutus Episcopus, præsidebant Presbyteri, ubi vero constitutus fuerat, ipse Episcopus. Tertius vero locus, uti & textus Apostoli: Qui bene præfunt Presbyteri, duplici honore digni sunt, æquo; imo potiori jure de iis Episcopis intelligendus venit, qui munus suum inculpate obibant; eo quod non tantum Gentes Fide Christi imbuerent, quod erat unum; sed etiam imbutos in ea conser-

varent;

varent; & confirmarent, quod erat alterum honore dignum. Ceterum Tertullianus aliis in locis Presbyteros ab Episcopis manifeste distinguit (N. 35. h. T.).

61. Objicit IX. auctoritatem Origenis, qui hom. 11. in Numeros binos tantum Gradus, nimirum, Sacerdotum, & Diaconorum videtur agnoscere, ubi quærit: An Sacerdotes, & Diaconi juxta suum Ordinem incedant?

62. At Origenem vocabulo Sacerdotii primi, & secundi Ordinis Sacerdotes intelligere in aperto est ex adjunctis; sic enim pergit: Et inde est, quod sæpe audimus blasphemare homines, & dicere: Ecce qualis Episcopus, vel qualis Presbyter, aut qualis Diaconus. Similiter etiam intelligendus est locus ejus ex tract. 5. in Matth. ubi Sacerdotes vocat oculos Ecclesie, Diaconos autem manus. Impudenter igitur, pro more suo, abusus est Blondellus hac Origenis auctoritate, quæ ipsius sententiam aperte jugulat, sicut & illa, quam adducit ex homilia 2. in Cantica. Nec obest, quod idem Sæculi III. Author hom. 7. in Jeremiam se simplicem Presbyterum nominet, atque cum aliis præsidere dicat: hoc eam præsidium ad Laicos est referendum, quibus Presbyteros in Ecclesia & olim præfuisse, & de facto præfidere non diffitemur; cum ipsis incumbat Gregem Christi Verbo Divino, & Sacramentis pascere: ex illo tamen Origenis loquendi modo non sequitur, Presbyteris ipsis, Ministris, & toti Plebi singularem Episcopum non præfuisse: imo id ex verbis sequentibus, quæ iterum mala fide præfuit Blondellus, aperte sequitur; sic enim pergit: Plus à me exigitur, quam à Diacono, plus à Diacono, quam à Laico; qui vero totius Ecclesie arcem obtinet (is est Episcopus), pro omni Ecclesia reddet rationem.

63. Objicit X. ep. 3. Cleri Romani ad S. Cyprianum, in qua scribunt: Incumbit nobis, qui videmur esse Præpositi, & vice Pastoris (nimirum Christi)

custodire Gregem. Et ep. 31. Placet, &c. collatione consiliorum cum Episcopis, Presbyteris, & Diaconis, Confessoribus pariter ac stantibus Laicis facta, lapsorum tractare rationem. Ex quibus locis infert, Presbyteros, imo Diaconos cum Presbyteris fuisse Præpositos, in communem Fratritatem regentes.

64. Resp. Blondellum in prima auctoritate pelsimam parenthesis, saltem mentalem, fecisse; Romanus enim Clerus præpositum se tantum, ac vice Pastoris gubernare Gregem dicebat interregni Pontificii tempore; vacabat enim Sedes Romana per obitum Fabiani Pontificis. Singularem ergo Episcopum Clerus Romanus in Urbe Sæculo III. agnoscebat, cujus vires se agere fatebatur. Miserum Blondellum, qui luis se talis identidem interimit! cum etiam ex secunda auctoritate à se adducta manifesto appareat, tunc temporis in Italia fuisse Episcopos à Presbyteris distinctos, cum quibus dictus Clerus in Causa lapsorum consilia sua communicare decrevit. Nec diffitemur, ex temporis illius disciplina & consuetudine Presbyteros, & Diaconos ab Episcopis in partem quandam, ac Societatem Ecclesiastici Regiminis assumptos fuisse, eo fere modo, quo nunc à Romano Pontifice Cardinales, ab Episcopis Consistoria adhibent, salva tamen Episcoporum eminentia Ordinis, & auctoritatis.

65. Objicit XI. auctoritatem S. Cypriani, qui ep. 55. Cornelium R. Pontificem sic appellaverat: Quamquam sciam, Frater charissime, pro tua dilectione, quam debemus, & exhibemus invicem nobis, florentissimo Clero illic tecum præfidenti, &c. legere te semper literas nostras. Supponit ergo Cyprianus Clerum Romanum cum tuo Pontifice ex æquo Gregi præfidere. Et ipse Cyprianus toto administrationis suæ tempore nil aggressus est, nisi partita, & quasi ex concepto voto, cum Communitris cura, & potestate, Quam in rem provocat Adversarius ad

Yy 2

ejus

ejus epistolas 6. 10. 18. 24. 71. 83. 88. additque eundem S. Patrem ep. 62. 65. 68. 72. Item libro de Lapsis Corpus Cleri in duas tantum Ordines dispescere, *Præpositos* nimirum, & *Ministros*, Præpositorum nomine Episcopos, & Presbyteros, Ministrorum vero Diaconos complectens: Præpositosque seu Sacerdotes, quæ tales, nemine excepto, Apostolis vicaria ordinatione successisse, nullo inter ipsos prærogativæ discrimine interjecto, contendit.

66. Resp. Blondellum his auctoritatibus ad suum errorem stabilendum comparatis nimis, adeoque nihil probare; ex illis siquidem sequeretur, non tantum Presbyteros, verum etiam Diaconos, ac inferiorum Clerum pari Ordinis, ac Jurisdictionis prærogativa cum Romano Pontifice, cæterisque Episcopis tum poluisse; cum Clerum Romanum S. ille Pater cum Cornelio indiscriminatim præsentem in medium afferat: imo sequeretur, Episcopos nullo discrimine à Plebe Christiana fuisse seceretos; quia & Plebis consensus, ac testimonium, cum in ordinandis Clericis, tum in Lapsis recipientibus ea ætate vigeat. Expendantur notæ historice in Titulo VI. hujus Libri datæ, in quibus & à primis sæculis electos singulares à Clero, & Plebe Episcopos, & Episcoporum Provincialium in his Conventibus superioritatem tam clare deprehenditur, ut commentum Blondelli vel ex ipso concedat. Quantum ad S. Cyprianum epistolas ab illo adductas, respondeo, illas nil adstruere, quod in solutione præcedentis, & aliarum objectionum jam non fuisse distatum. Cæterum quod eo tempore Ecclesia, ut nunc, crederet, Episcopos à Presbyteris ordinari non posse, sicut ab Episcopis ordinarur Presbyteri, ex factis Novatianum demonstratur, qui Episcopos peregrinos non conduxisset, inebriatque compulisset, ut sibi manus imponerent, ac Episcopum consecrarent, si id jus, ac potestatis penes Presbyteros

fuisset; cum aliquos in Secta sua Presbyteros haberet. Fecit tamen, factumque refert Cornelius Rom. Pontifex in genuina ep. ad Fabium Antiochenum, quam nobis conservavit Eusebius lib. 6. Hist. Eccl. c. 43. Et quod S. Cyprianus Episcopos Jure Divino, seu ex Apostolica institutione Presbyteris majores censuerit pariter jam probatum est (h. T. N. 35.).

67. Objicit XII. auctoritatem Firmilianii apud S. Cyprianum ep. 71. ubi Ecclesiastici Regiminis formam posteris delineavit: *Necessario*, inquit, *apud nos sit, ut per singulos annos Seniores, & Præpositi in unum conveniamus ad disponenda ea, quæ cura nostræ commissa sunt, ut si quæ graviora sunt, communi consilio dirigantur, &c. quando omnis potestas, & gratia in Ecclesia constituta sit, ubi præsident majores natu, qui & baptizandi, & manuum imponendi, & ordinandi possident potestatem.* Quinam tunc erant Ecclesiarum Præpositi, inquit Blondellus, Seniores, majores natu, seu Presbyteri? Quæ illi potestate præditi? tingendi, Pœnitentes reconciliandi, ordinandi. Ne quis ullos ab ordinationum jure Seniores putet. Quomodo regebant? communi consilio.

68. Resp. Recte argueret Blondellus, si Firmilianus majorum natu, ac Seniorum nomine Presbyteros quoscumque intellexisset. At hoc falsum est; Episcopos enim intellexit Collega Cypriani & ipse Episcopus, Stephani I. in Causa Baptismi cum aliis Asiæ Episcopis acerrimus adversarius, translato vocabulo à prima notione, quæ significat prærogativam ætatis, ad significandam dignitatem. Id quod constat tum ex potestate ordinandi Presbyteros, quam illis attribuit; quam ibi Seniores vocat, seu Presbyteros; quos tamen ex dictis numero præcedenti in simplicibus Sacerdotibus illa ætate non agnoscebat Ecclesia: tum ex continuatione ejusdem epistolæ, in qua, quos prius dixerat natu majores, & seniores, Episcopos vocat.

cat, inquit: *Potestas ergo peccatorum remittendorum Apostolis data est, & Episcopis, qui eis ordinatione vicaria successerunt.*

69. Objicit XIII. auctoritatem Eusebii, qui lib. 6. c. 8. narrat, Theodotum Cæsareæ, & Alexandrum Hierosolymorum Episcopos Origenem Presbyterum ordinasse, quod eundem supremo honore dignum existimaverint: Presbyteratus igitur supremus in Ecclesia honor tum putabatur.

70. Resp. I. quod hi Episcopi ex verbis Eusebii Origenem Episcopatu dignum existimare potuerant, & interim Presbyterum duntaxat consecrare.

71. Resp. II. Si Presbyteratum ab Eusebio loco cit. supremum honoris apicem vocatum demus, ita nuncupatum comparate ad inferiores Grados, non vero absolute respondebimus. Nam cap. 27. scribit, hos duos Episcopos soli Origeni interpretationem S. Scripturæ, ac reliquum omne Catholicæ Doctrinæ officium permisisse: ergo in hoc ab illis dependebat. Sed quid jactat Blondellus Historiographi verbum unum, qui imbre telorum suam sententiam obruit, dum in sua historia id fere sacrum habet, ut singularium Episcoporum successiones ab Apostolicis temporibus in Ecclesiis Orbis Christiani, nobilissimis Romana, Alexandrina, Antiochena, Jerosolymitana quam accuratissime recenset?

72. Objicit XIV. auctoritatem S. Hilarii in Psal. 134. ubi exponens v. 19. & 20. in Aaron Sacerdotes significari, in Levi autem Ministros, id est, Diaconos ostendi, inquit S. Pater: quo loco, subdit in perniciem suam ingeniosus Blondellus: Non ignorabat S. Hilarius usu longo confirmatum Episcoporum supra Presbyteros eminentiam; sed intento in primitivam sub Apostolis, Apostolicisque Viris, seu Apostolorum Discipulis formam oculo, consuetum Ecclesiarum morem prætervectus, duo tantum in Clero Capitum genera recensuit, Sacerdotum, & Ministrorum.

73. Resp. S. Hilarius Sacerdotum nomine Episcopos præcipue hoc loco intellexisse, Presbyteris ex divina institutione superiores, ex eo patet, quod dicti sui rationem reddat: *Sacerdos enim in Lege primus fuit Aaron, & exinde in successione ejus Sacerdotum honor mansit.* Aaron autem fuit Summus Pontifex. Sed nil luculentius ad Hilarii mentem explicandam referri potest iis, quæ scripsit initio libri 7. de Trinit. ubi & formam constituendi Episcopi ab Apostolo traditam docet, & Episcopum Ecclesiæ Principem vocat iis verbis: *Sed perfectum Ecclesiæ Principem maximarum virtutum donis instruit, ut & vita ejus ornatur docendo, & doctrina vivendo.*

74. Objicit XV. auctoritatem S. Basilii M. Commentario in cap. 4. Itæz, ex cujus sententia, inquit Blondellus, quæcumque de Episcopis verba fecit Paulus, de Presbyteris debent intelligi. Quod confirmat ex ejusdem Moraliæ Regula 71. cujus capiti primo, congestis in acervum Pauli de Ministrorum Sacrorum officio locis, sequentem titulum inscribit: *Quæcumque de Episcopis, & Presbyteris conjunctim dicta sunt.*

75. Resp. ex his Basilii M. verbis tantum recte colligi, ipsum existimasse, dicta S. Pauli de Episcopis etiam ad Presbyteros pertinere; quia eandem à vitis, & pravis cupiditatibus immunitatem, easdemque virtutes postulat utriusque Sacerdotii Gradus; non vero quod unus illorum Ordo, & par dignitas esset.

76. Objicit XVI. auctoritatem Commentatoris in epist. S. Pauli, qui inter opera S. Ambrosii legitur, quinque Hilarii Sardum Romanæ Ecclesiæ Diaconum Eruditi vocato existimant, atque Ambrosiastrum vocitant. Is autem in cap. 4. ep. ad Eph. hæc habet: *Non per omnia conveniunt scripta Apostoli ordinationi, quæ nunc in Ecclesia est: omnia hæc inter ipsa primordia sunt scripta. Nam & Timotheum Presbyterum à se creatum, Episc.*

Episcopum vocat, quia primum Presbyteri Episcopi appellabantur, ut, recedente uno, sequens ei succederet. Denique apud Ægyptum Presbyteri consignant, si præsens non sit Episcopus: sed quia ceperunt sequentes Presbyteri indigni inveniri ad primatus tenendos, immutata est ratio, prospiciente Concilio: ut non Ordo, sed meritum crearet Episcopum, multorum Sacerdotum iudicio constitutum. Apostolicis igitur temporibus primatus, non nova inauguratione, aut electione, sed sola ordinationis antiquitate deferebatur; ita ut mortuo antiquiore, sequens ei succederet, ac Episcopus diceretur.

77. Resp. N. consequentiam, quæ ex allata autoritate non colligitur; non enim is est hujus Authoris sensus, quem ipsi Salmastius, & Blondellus affingunt. Sed sic est intelligendus, ut ex solo Presbyterorum Ordine primum Episcopos Alexandriæ creatos esse dixerit. Hoc est enim uno recedente, atque à medio sublato, sequentem, id est, alterum quemcumque, & non seniore secundum ejusdem Ordinis successisse: sequens igitur hoc in loco idem est, atque alter. Itaque ex Presbyterorum Ordine ac Cætu creabatur Alexandriæ Episcopus, & ab ipsismet Alexandrinis Presbyteris eligebatur, (hoc Lib. Tit. 6. N. 8.) tumque Ordo, non meritum creabat Episcopum, ad intentum Ambrosiastri. Quapropter immutata est hujus discipline ratio, prospiciente Concilio, (quod Nicænum intelligit, atque ad ejus Canonem 4. alludit, in quo præcipitur, ut à Comprovincialibus Episcopis eligatur Episcopus: ibi N. 9.) ut non Ordo, sed meritum crearet Episcopum; hoc est, ut non ex solo Presbyterorum Ordine necessario sit eligendus Episcopus, sed etiam ex alio; nec à solis Presbyteris, sed etiam ab aliis. Et conformiter ad hunc Canonem quinque post Concilium Nicænum mensibus in Episcopum Alexandrinum electus est S. Athanasius Diaconus.

78. Instat I. Blondellus ex ejusdem

Ambrosiastri verbis in 1. ad Timoth. c. 3. dicens. Post Episcopum, Diaconi ordinationem subicit. Quare, nisi quia Episcopi, & Presbyteri una ordinatio est, uterque enim Sacerdos est. Sed Episcopus primus est, ut omnis Episcopus Presbyter sit, non omnis Presbyter Episcopus. Hic enim Episcopus est, qui inter Presbyteros primus est. Denique Timotheum Presbyterum ordinatum significat, sed quia ante se alterum non habebat, Episcopus erat. Ex quibus nullam aliam differentiam Apostolicis temporibus inter Presbyterum, & Episcopum agnitam fuisse contendit Blondellus, quam prioritatem ordinationis.

79. Resp. Ambrosiastrum, dum dicit, Episcopi, & Presbyteri una ordinatio est, intelligendum esse quantum ad characterem sacerdotalem, seu in ordine ad faciendam Eucharistiam, non vero quantum ad omnia; quia dicit, non omnis Presbyter Episcopus est. Similiter dum illum nuncupat Episcopum, qui inter Episcopos primus est, non intelligit primum antiquitate ordinationis, sed Dignitate, & Potestate: & sic explicandum venit exemplum petum ex ordinatione Timothei. Et hunc sensum habere Authorem in hoc commentario producit illa, quæ mox subdit: Unde & quemadmodum Episcopum ordinet, ostendit; neque enim fas erat, aut licebat, ut inferior ordinaret majorem. Nemo enim tribuit quod non accepit. Solus ergo Episcopus ordinandi potestatem ex mente Authore accepit.

80. Instat II. ex Authore qq. Veteris, & Novi Testamenti inter opera S. Augustini, quem esse eundem Hilarium Sardum non male auguratur. Is igitur q. 101. eodem tenore loquitur, quo instantia prima scripsit fortassis idem in 1. ad Timoth. & addit: Quod in Alexandria, & per totam Ægyptum, si desit Episcopus, consecrat, id est, confirmat Presbyter. Robur dictis conciliari nititur ex eodem Authore quaest. 46. ubi ait: Sacerdos vi-

cem

cem agere non potest, qui non est Sacerdos; adeoque non Episcopus Episcopi vicem agere nequaquam poterit: ac (ex hypothefi) Presbyter apud Ægyptios vicem Episcopi egit: ergo (ex hypothefi eadem) Presbyter apud Ægyptios Episcopus fuit.

81. Resp. laudatum Authorem loco citato nil minus scribere, quam quod ipsi Blondellus affragit. Nec Episcopos Presbyteris coæquat in Sacerdotii Gradu, sed in Sacerdotio præcise; ratione cujus Episcopus, & Presbyter easdem functiones exercent, & Episcopus à Presbytero non differt in hac præcise formalitate, nisi quod primus Presbyter est, & Presbyteros Consecradores suos vocat. Quia cum major Ordo intra se & apud se habeat & minorem, ut ait iste Author, Episcopus Presbyteri Ordinem continet, quamvis novæ dignitatis accessione cumulatum.

82. Ad Confirmationem responderetur, verum esse, quod non Sacerdos, seu non Episcopus non possit agere vicem Sacerdotis, seu Episcopi in his, quæ sunt propria Episcopalis Ordinis, & Characteris; bene vero in his, quæ est ab Episcopis exerceantur, secundi tamen Ordinis Sacerdotibus ratione Characteris Sacerdotalis communicari possunt; cujusmodi erat administratio Sacramenti Confirmationis, quam Presbyteri Ægyptii absentibus Episcopis conferebant ex Alexandriæ Ecclesiæ disciplina: qui tamen nunquam tum ibi, tum alibi Presbyteros, vel Episcopos ordinasse leguntur. Ideo porro laudatus Author Presbyteros sic extollit, ut eos coæquare Episcopis videatur; quia Romanorum Diaconorum factum sibi sumit comprehendendum, qui se supra Presbyteros efferebant. Unde ut ipsos longe inferiores esse Presbyteris ostendat, iisque subditos esse debere, Sacerdotum dignitatem cum Episcopali componit: quod non illubenter Diaconi Episcopis subessent, longæque infra Episcoporum Ordinem se positos tarentur. Ita patet ex antecedentibus

fragmentis, & consequentibus, quæ Natal. Alex. hic adducit.

83. Præcipuum causæ suæ præsidium ex S. Hieronymo in commentario cap. 1. ep. ad Titum petit ejusdem Apologita non petitus Blondellus. Quare obijcens XVII. contendit, Hieronymum L. cit. sequentes propositiones adstruxisse, quæ peremptorie petunt Episcoporum Jure Divino supra Presbyteros majoritatem. Et primo quidem, quod idem sit Presbyter, qui Episcopus, his verbis: Idem est ergo Presbyter, qui Episcopus. Secundo, quod Episcoporum eminentia supra Presbyteros non fuerit ab Ecclesiæ exordiis, sed communis Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernata fuerit, his verbis: Antequam diaboli insinuat studia in religione fierent, & diceretur in Populis, ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cæphæ, communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur. Tertio, quod tandem in Schismatis remedium Episcoporum moderna eminentia constituta sit, & consequenter non à Deo, sed ab Ecclesiâ, his verbis: Postquam vero unusquisque eos, quos baptizaverat, suos esse putabat, non Christi, in toto Orbe decretum est, ut unus de Presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, ut Schismatum semina tollerentur. Quarto, Episcopos magis consuetudine, quam dispositionis divinæ veritate Presbyteris esse majores, his verbis: Sicut ergo Presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine ei, qui sibi præpositus fuerit, esse subiectos; ita Episcopi noverint, se magis consuetudine, quam dispositionis divinæ veritate Presbyteris esse majores. Hi sunt Blondelliani Achilles, qui prima fronte terrorem videntur incutere; sed panicum tantum, Hieronymi sensum, & scopum similibus in locis non intelligentibus, quemadmodum eundem Blondellus revera non intellexit. Quare.

84. Resp. ad I. Hieronymi sensum esse, apud Veteres eosdem Presbyteros fuisse

63

se, quos & Episcopos, nomine quidem, at non Ordine, & dignitate; communia siquidem primi, & secundi Ordinis Sacerdotibus tunc erant nomina, ut Episcopi vocabulo Presbyterorum, & Presbyteri vocabulo Episcoporum significari tunc soleret: quia, teste eodem Hieronymo hoc in loco, idem, qua Senior, Presbyter, & qua Ecclesie Superintendentens, Episcopus; quamvis aliqua esset inter illos Ordinis, ac Dignitatis differentia. Id illa Hieronymi verba significant, quae ibi subiicit: *Sed quia eosdem Episcopos illo tempore, quos & Presbyteros appellabant, propterea indifferenter de Episcopis, quasi de Presbyteris, est locutus.*

85. Resp. ad II. & III. S. Hieronymum his duobus in locis tantum velle, quod non omnis ea eminentia, qua postea longiori intervallo Episcopi post se reliquerunt Presbyteros, ab Ecclesie exordiis, & consequenter divinitus fuerit constituta; non vero, quod nec aliqua. Duplici enim ratione supra Presbyteros eminent Episcopi: nempe, potestate interiori Ordinis, seu Characteris Episcopali, quo Presbyteros, & Episcopos aīos ordinare possunt, sive Patres Ecclesie gignere, ut loquitur Epiphanius: secundo potestate jurisdictionis in Corporis Christi mystici, seu Ecclesie, regimine. Quoad priorem Episcopi fuere semper Superiores Presbyteris, etiam in exordiis Ecclesie, & antequam Schismata in Populis orirentur. Idque S. Hieronymus in eo ipso, quem expendimus, loco agnovit. Veros enim proprieque vocatos Episcopos, etiam temporibus Apostolicis, non fuisse plures existimat in una Ecclesia; cum plures fuisse fateatur Presbyteros. Nam cum ad probandum eundem apud Paulum esse Presbyterum, & Episcopum, attulisset locum Act. cap. 20. ita ita addit: *Ac ne quis contentiose in una Ecclesia plures Episcopos fuisse contendat; audi & aliud testimonium, in quo manifestissime comprobatur, eundem esse Episcopum, & Pres-*

byterum. Certe si S. Hieronymus Presbyteros in eodem cum Episcopis Ordine, ac Gradum fuisse, & Episcopali characterē insignitos existimasset, plures in una Ecclesia Episcopos fuisse minime negasset; siquidem in una Ecclesia Presbyteros fuisse plures illo Actorum loco edoctus fatebatur. Episcopos igitur ad Presbyteris Ordine, & Characterē distinctos, illicque sublimiores, etiam in Ecclesie incunabilis, S. Hieronymus agnovit. At, quoad secundam illam potestatem, seu jurisdictionis, quae in externa Ecclesie, & rerum ejus administratione posita est, non ea fuit ab initio, quae secutus temporibus Episcoporum supra Presbyteros eminentia. Tunc enim communi Presbyterorum consilio Ecclesie regebantur, & res Ecclesiasticae administrabantur, nihilque decernebatur, nisi ex eorum suffragiis, & ex communi totius Senatus Ecclesiastici sententia; cui tamen aliquis praesidebat tam praeogativa suffragii, & iudicandi, atque decernendi potestate. Sed haec regiminis forma immutata est occasione Schismatum, & ad unum omnis delata sollicitudo est. Et hic est limpidus periodi Hieronymianae, secundo, & tertio loco allatae, si praedictatis oculis non inspicatur, sensus; nec verbum enim ibi perdit de potestate Ordinis, sed Presbyteros, qui tum quasi ex aequo cum Episcopo gubernabant Ecclesiam, adeoque ob frequentem veritatem parœmiæ, quot capita tot sententiæ, Schismatum occasionem dederunt, dicit sublellis subinde motos, & Presbyterum electum, ad quem omnis Ecclesie cura pertineret, seu omnem Ecclesie curam ad Episcopos translata. Id quod, & non aliud etiam intendit, verbis continua serie eidem periodo subnexis: *Puteat aliquis non Scripturarum, sed nostram esse sententiam, Episcopum, & Presbyterum unum esse, & aliud ætatis, aliud esse nomen officii: relegat Apostoli ad Philippenses verba, dicentis: Paulus, & Timotheus servi Jesu Christi, omnibus Sanctis in Christo,*

qui

qui sunt Philippis, cum Episcopis, & Diaconibus — *Philippi una est Urbs Macedonia. Et certe in Civitate plures (ut nuncupantur) Episcopi esse non poterant. Sed eosdem Episcopos illo tempore, quos & Presbyteros appellabant, propterea indifferenter de Episcopis quasi de Presbyteris est locutus.* Iis enim liquido nil aliud vult, quam Presbyteros ea ætate non tantum Senioratus, sed etiam Jurisdictionis quasi cumulativæ prærogativa cum Episcopo in regimine Ecclesie gavisos fuisse; & consequenter in illis aliud fuisse nomen ætatis, & aliud officii: Officii inquam, non Ordinis Episcopalis; tales enim plures in una Civitate esse haud potuisse aperte affirmat.

86. Ad IV. Resp. S. Hieronymum ibi tantum velle, Episcopos, quoad externam illam Ecclesie gubernationem, atque Jurisdictionis usum depositum, magis Ecclesie consuetudine, quam dispositionis dominicæ veritate Presbyteris esse majores: quia non est juris divini, ut ab Episcopo solo abique Presbyteris consiliis & suffragiis illud Ecclesie regendæ, jurisque dicendi, in Sacra Republica munus exerceatur; imo convenientius esse, asserit S. Hieronymus, ut in communi Episcopi cum Presbyteris Ecclesiam regant: *Imitantes Moysen, qui cum haberet in potestate solus præesse Populo Israel, septuaginta elegit, cum quibus Populum iudicaret: ex quibus verbis & exemplo efflorescit, potestatem summam regendæ Ecclesie, & jurisdictionem amplissimam, cum in Plebem Christi, tum in ipsum Presbyterorum, Clerique totius Collegium, Episcopis institutione divina fuisse concessam, quamvis ad exemplum Moysis eam cum secundi Ordinis Sacerdotibus communicarent. Denique hæc verba S. Hieronymi: In toto Orbe decretum est, ut unus de Presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesie cura pertineret, ut Schismatum semina tollerentur, & Blondelli hypothesin evertunt. Quo-*

Tom. I.

modo enim fieri potuit, ut id toto Orbe decideretur, nullo jam Concilio Œcumenico ad illud decernendum congregato, si non ab Apostolis ipsi fidem toto Orbe promulgantibus, & cum fide hanc regendi Ecclesie formam constituentibus, factum sit?

87. Objicit XVIII. insignem alium locum S. Hieronymi ex ep. 85. ad Evagrium, in qua scribit, Apostolum dierte docere, eosdem esse Presbyteros, quos & Episcopos; qua propositione ex Act. 20. & stabilita subiungit: *Quod autem postea unus electus est, qui cæteris præponeretur, in Schismatis remedium factum est, ne unusquique ad se trahens Christi Ecclesiam rumpere.* Deinde adducit exemplum Presbyterorum Alexandrinorum, de quo supra N. 76. quos dicit ex gremio suo unum elegisse, & Episcopum nominasse: *Quomodo si Exercitus Imperatorem faciat, aut Diaconus elegant eum, quem indistrum noverint, & Archidiaconum vocent.* Quo ex loco habemus, primo sæculo Apostolorum eosdem Presbyteros, quos & Episcopos fuisse; secundo in Schismatis remedium factum fuisse, ut unus ex Presbyteris electus cæteris præponeretur.

88. Sed utraque sequela numero præcedenti soluta jam est. Hanc autem esse Hieronymi mentem, tum propositum ejus, tum verba demonstrant; invehitur enim in quendam nebulonem, qui Diaconos Presbyteris anteferebat. Eius ergo vecordiam ut resellat, ostendit, Episcopos, de quibus Apostolus loquitur, fuisse secundi Ordinis Sacerdotes, adeoque sublimiores illis, quos ibi Apostolus Diaconos vocat.

89. Contra est, quod ibi S. Hieronymus dicit, Presbyteros Alexandrinos unum ad se electum Episcopum nominasse, nulla facta mentione novæ inaugurationis: ergo Episcopus ille fuit Electoribus tantum jure humano fuit superior. Et confirmatur exemplis Imperatoris & Archidiaconi ibi adductis; ut enim aliquis fieret Imperator, vel

Za

Ar.

Archidiaconus, nulla alia inauguratione, ab electione distincta, opus fuit.

90. Resp. Quamvis S. Hieronymus ibi nullam mentionem faciat novæ cujusdam inaugurationis Episcopi, eam tamen fieri aperte supponit, dum subjungit: *Quid enim facit*, excepta ordinatione, *Episcopus, quod Presbyter non faciat?* Ordinationum igitur Sacrarum potestatem Presbyteris non convenit. S. Hieronymus agnovit, non tantum illis, quos sua videbat ætate, sed absolute Presbyterorum nemini, etiam eorum, qui temporibus Apostolorum floruerunt, de quibus antea locutus est, ne Blondellus accipitur. Hanc autem electionem nuda accipere non poterant: ergo Episcopali consecratione, qua jure divino illos eminare Presbyteris S. Hieronymus agnovit, dum ep. ad Evagrium ita concludit: *Et ut sciamus, Traditiones Apostolicas sumptas de veteri Testamento, quod Aaron & filii ejus, atque Levitæ in Templo fuerunt: hoc sibi Episcopi, & Presbyteri, & Diaconi vendicent in Ecclesia.* Quibus verbis Episcopos cum Aaron, Presbyteros cum ejus filiis componit. Nemo porro parem potestatem Aaronis, qui Pontifex Maximus fuit, & filiorum, qui Sacerdotes tantum erant, fuisse dixerit. Quapropter neque omnimodam paritatem in electione Imperatoris, & Archidiaconi facit: sed tantum in eo, quod, sicut olim ex Corpore Exercitus eligebantur Imperatores, & ex Diaconorum Societate eligebantur Archidiaconi, si tamen eligebantur (hoc Lib. Tit. 23. N. 7.); ita ex Presbyterorum Collegio crearentur Episcopi: non vero in eo, quod sola electione, & citra ordinationem ad hanc Dignitatem promoverentur; quemadmodum probatum est. Et ex his responsionibus solvantur & aliæ autoritates, hæc Hieronymianis similes: nimirum, Auctoris Commentariorum in epistolas S. Pauli in cap. 3. v. 1. ad Timoth. item Authoris Anonymi de 7. Gradibus Ecclesiæ ad Rusticum Narbonensem Episcopum, Qui uter-

que habetur inter opera S. Hieronymi. Item Sedulii Scoti in cap. 2. ep. ad Titum, S. Isidori Hispalensis lib. 2. de Eccl. Off. c. 7. & lib. 7. Etym. c. 12. Ven. Bedæ in cap. 20. Act. &c.

91. Objicit XIX. auctoritatem S. Augustini ep. 82. alias 19. ad S. Hieronymum scribenti: *Quamquam secundum bonorum vocabula, quæ jam Ecclesiæ usus obtinuit, Episcopatus Presbyterio major sit; tamen in multis rebus Augustinus Hieronymo minor est.* Ecclesiæ ergo usu, non Christi institutione, juxta Augustinum, Episcopi Presbyteris majores sunt.

92. Resp. Cum S. Augustinus Aerii (Blondelli) opinionem de Episcoporum cum Presbyteris Jure Divino aequalitate vocet erroneam (N. 36. h. T.); illum usum Ecclesiæ recentem, vel post Apostolica tempora introductum non laudat, sed ab ipsis Ecclesiæ incunabulis, nec de nudis honoris vocabulis loqui; sed quæ distinctos Dignitatum Ordinumve gradus in Ecclesia significant, indicare velle, in aprico est.

93. Objicit XX. auctoritatem Liberati in Breviario cap. 20. ubi ritum, quo creabatur olim Alexandrinus Episcopus, narrans, nullam de illius ordinatione mentionem facit. Item auctoritatem Eutychiei, Alexandrini Patriarchæ, in Chronico, sive Libro de Originibus Ecclesiæ Alexandrinæ, arabice conscripto, quem latinitate donavit Seldenus: in quo habet primo, Episcopos Alexandrinos à Presbyteris ne dum electos, verum etiam consecratos fuisse: secundo, Ecclesias Ægypti annos ducentos absque Episcoporum administratione transigisse, ab Anania scilicet, Marci Successore, ad Demetrium usque Patriarcham, qui primus tres Episcopos creavit. Presbyterorum igitur & Episcoporum nullum fuit toto illo intervallo temporis in Ægypto discrimen.

94. Resp. ad I. Liberatum ibi solum notare caremoniam singularem Alexandrinæ Ecclesiæ, quam retulimus hoc Lib.

Tit.

Tit. 8. N. 10. de ordinatione vero, quæ cum Alexandria, tum in cæteris Ecclesiis adhibebatur, nihil dicere; quia necesse non erat ad illud Historice caput, quod ibi describit, fideliter tractandum: & aliunde nemini notissimum non erat, Presbyterum, nisi nova ab Episcopis inauguratione fieri. Argumentum igitur istud negativum, & consequenter infirmum est.

95. Quod vero Eutychieum atinet, sæculi IX. adulti Authorem, nulla ipsi adhibenda his in rebus est fides, cum aperte falsitatis convinceretur. Historicus ineptus, oscitans, & rei gestæ tot sæculis posterior. Imprimis enim falsum est, Patriarcham Alexandrinum fuisse à Presbyteris consecratum: quod evincitur ex S. Hieronymo, qui Alexandrinæ Ecclesiæ morem in creando Episcopo, quem optime perspectum habuit, utpote Ægyptum sæpeadiens, referendo, ait: *Quid enim facit*, excepta ordinatione, *Episcopus, quod Presbyter non faciat?* Falsum item est, quod habet idem Eutychieus, ab Anania usque ad tempora Demetrii Patriarchæ nullos fuisse in Provinciis Ægypti Episcopos: uti ex ep. Adriani Imp. ad Servianum Consulem, ex antiquo vitæ S. Marci Authore, ex Athanasio Apol. 2. aliisque monumentis demonstrat Nat. Alex. hic.

96. Objicit XXI. auctoritatem Canonum Africanorum, in quibus Presbyteri Episcoporum Compresbyteri, Communitri, Collegæ, & Fratres vocantur. Sic enim habet Synodi Carth. IV. Canon 34. *Ut Episcopus quolibet loco sedens stare Presbyterum non patiatur:* & Canon 35. *Ut Episcopus in Ecclesia, & in confessu Presbyterorum sublimior sedeat, intra domum Collegam se Presbyterorum esse agnoscat:* sive, ut ante annos plus minus 900. Egbertus Eboracensis cap. 27. legit *Ut Episcopus in Ecclesia consensu Presbyterorum sublimior sedeat.* Presbyteri ergo pares judicati sunt Episcopis.

97. Resp. Presbyteros ab antiquis tum Episcopis, tum Conciliis Collegas & Fra-

tres vocatos, non propter omnimodam, quæ inter ipsos intercedat, aequalitatem sed quod in Presbyteratu pares sint, & æqualem habeant Eucharistiæ conficiendæ, & peccatorum remittendorum potestatem. Quam ob causam Presbyteros, vi Canonis allati, honorifice excipere debet Episcopus, nec pati, ut coram se sitent unquam. Cæterum eos Ordinatione & Jurisdictione Superiores Presbyteris agnoscit Synodus Carth. dum Canone 36. decernit: *Ut discordantes Clericos ratione vel potestate Episcopus ad concordiam trahat:* Can. 59. auctoritatem *excommunicandi* accusatoris fratrum tribuit. Et Concilium Carth. III. Can. 45. potestatem *ordinandi* in ipsis agnoscit. Perperam itaque Blondellus Africanorum autoritate Canonum Systema suum propugnare conatur. Sed & Egberti autoritas non urget; nam vel ipse, vel imperitus aliquis Canonum ab eo excerptorum Scriba Canonem Africanum interpolavit; cum Can. 23. 29. 96. & 97. Episcoporum supra Presbyteros Ordine & Jurisdictione majoritatem aperte proficitur.

98. Oppugnat III. Catholicam nostram veritatem Blondellus ex ratione, atque objicit XXII. Quilibet Presbyter potestatem habet Diaconos, & Presbyteros ordinandi: ergo Presbyter est idem quod Episcopus. Antecedens probat exemplo Novati, qui cum S. Cypriani Presbyter esset, Felicissimum satellitem suum, illo non sciente, nec permittente, sua factione & ambitione Diaconum constituit, ipso teste ep. 49. nullas tamen violatorum per illegitimam ordinationem Canonum penas dedit, ipso itidem teste ep. 6. ad Clerum. Qui ep. 38. & 40. à Felicissimo abstinendum censet ob male administratum, non ob illegitimam susceptum Diaconatum. Igitur Diaconatum à Presbytero collatum ratum censuit.

99. Resp. N. A. ad ejus prob. resp. 1. Ex hoc S. Cypriani loco non haberi, quod Novatus Diaconum ordinaverit Felicissimum, sed solum, quod factione sua &

Lz 2

am-

ambitione ipsum ordinari, & constitui curaverit, ab Evaristo forsan Episcopo, qui Novati Schismaticæ factioni se adjunxerat. Porro ita intelligendum esse S. Cyprianum ex eo probatur, quod eodem modo dicat Episcopum Romæ constitutum fuisse à Novato, quo dicit constitutum ab eo Diaconum Carthagine Felicissimum. *Qui istuc adversus Ecclesiam Diaconum fecerat, illic Episcopum fecit.* Certum autem est, Novatum Episcopum non fecisse, ipsum per se ordinando, sed ut ab Episcopo deceptis & ebriis ordinaretur, & Cornelio Antipapa opponeretur, Schismatica factione efficiendo.

100. Resp. II. Transmisso facto Novati, contra Catholicam veritatem nihil concludi; cum non probetur S. Cyprianum illam ordinationem præsumptivam ratam usquam habuisse; imo constet, adversus Ecclesiam factam pronuntiasse. Cum autem de Novato honorifice locutus est, nondum Schisma fecerat, ut finxit Blondellus, nec Felicissimum Diaconum constituerat.

101. Obijcit XXIII. exemplum ex Philostorgio Eclogis de promptum lib. 2. c. 5. ubi scribit: *Clericos captivos ex Asia, Galatia, & Cappadocia Ecclesias Gothicas fundasse, & per annos fere 70. quo Uphilis primus ab Eusebio Nicomedienfi ordinatus ex illis est Episcopus, administrasse: ex quo colligit, penes illos Presbyteros universam ordinationem, & jurisdictionis Episcopalis potestatem mansisse.*

102. Resp. N. C. Etenim licet Ecclesie à Presbyteris fundari possint, conversione Gentium, simul & in defectu Episcoporum administrari dispensatione Verbi Dei, & Sacramentorum; inde inferre haud licet, ejusmodi Presbyteros esse Episcopos. Alias Missionarii Japoniæ, Sinarum, &c. Presbyteri, qui idem præstiterunt, & præstant, fuissent, & essent veri Episcopi. Falsum insuper est, quod Uphilis primus fuerit Gothorum Episcopus; nam Theophilum illius Gentis Episcopum Nicæno Concilio præsentem subscripsisse testatur Socrates lib.

2. c. 41. cujus Successorem ibi dicit Uphilam. Nulla igitur Philostorgio fides, quæ Legationem Uphilæ, cujus occasione Episcopus constitutus fuerat, ad tempora Constantini refert, quarum Socrates lib. 4. c. 33. Sozomenus, & Theodoretus sub Valente contigisse narrat.

103. Obijcit XXIV. S. Basilium, qui ep. 66. scribit, relegatis An. 370. Valentis decreto Orthodoxorum Præfulibus, Flavianum & Diodorum Presbyteros curam suscepisse, & ubicumque necesse fuit, novis viduatas Ecclesias Episcopos regendas commississe. Presbyteri ergo Episcopos constituerunt. Præterea ex Socrate lib. 4. c. 13. eruitur, Evagrium Constantinopolitanum Episcopum ordinatum fuisse ab Eustathio; hic autem ex ipsa Chronologia non potest esse Eustathius, Antiochiæ olim Episcopus, ut putat Socrates; cum tum jam obierit: debuit ergo esse Eustathius Constantinopolitanus Presbyter, de quo scribit S. Hieronymus.

104. Resp. ad arg. Negando illationem. Constituebant equidem illa tempestate Presbyteri & Fideles Episcopos viduatis Ecclesiis (id quod & Epiph. hæresi 73. docet) eos eligendo, & Orthodoxis Antistitibus offerendo inaugurandos: nequaquam vero ipsos consecrabant, aut absque consecratione regimini Ecclesie admovebant. Quod vel ex unica S. Eusebii Samosatensis Episcopi historia manifestum fit, qui, teste Theodoro lib. 4. Hist. Eccl. cap. 13. in veste militari Asian peragrabat, Presbyteros, & Diaconos consecrando, & Episcopos Ecclesis præficiendo, quod in Syltemate Blondelliano necesse non fuisse.

Ad Confirmationem, quamvis alium ab Antiocheno Evagrii Ordinatorem Eustathium quærendum esse fateamur cum Blondello; negamus tamen hunc esse Eustathium Presbyterum Constantinopolitanum, quem nec tum superstitem fuisse certum est; cum relati Authores illum Episcopum fuisse aperte testentur. Nec etiam Blondellus ex Calsiano Collat. 4. c. 1. ex-

tun-

tundit Paphnutium Presbyterum, Daniellem Monachum, Diaconum primum, dehinc Presbyterum ordinasse; intelligendus enim est Calsianus, ut Paphnutius Daniellem Episcopis obtulerit, & recommendaverit; ut ei Sacros Ordines conferret. Nec Synodi Araulicanz r. A. 441. celebratz Canon 30. docet, quod ea, quæ Episcopis erant propria, tum per Presbyteros obiri potuisse; quia intelligendus tantum est quoad munia aliqua, non autem omnia: hoc est, illa tantum, quæ Sacris Canonibus Episcopis erant reservata, non vero quæ jure divino; sed quæcumque fuerint functiones illæ, quas Episcopi infirmi Presbyteri exercendas imponebant, abusus manifestus fuit illa impostio, seu permissio, quam proinde Araulicanz Synodi Patres prohibuerunt, ac damnarunt. Sic enim sonat Canon: *Ut si quis Episcopus per infirmitatem, debilitatemque aliquam, aut in ebrietudinem sensus incidit, aut officium oris amiserit, ea, que non nisi per Episcopos geruntur, non sub presentia sua Presbyteros agere permittat, sed Episcopum evocet, & quod in Ecclesia agendum fuerit, imponat.*

105. Obijcit XXV. Historiam Catonis Presbyteri, qui Sæculo VI. post obitum Galli, Arvernorum Episcopi, à Clericis postulatus Episcopus, absque consecratione, & ordinatione Episcopalia munia obivit, Presbyteralem inaugurationem sibi sufficere peritiosus. Et quamvis certus quidam Cautinus, ejusdem Ecclesie Archidiaconus, jussu Regis Arvernensis Ecclesie Præfectus fuerit; nihilominus Cato se pro Episcopo gessit, ipsique pars maxima Clericorum parebat. Quin, cum diem ultimum obiisset Gantharius Turoneasium Episcopus, Cato Presbyter ad illius Ecclesie Præfecturam, suggerente Cautino, præcipiente Rege, postulatus est. Ille vero Arvernorum Sedem Turonenfi Episcopatu præposuit, quemadmodum ad longum narrat S. Greg. Turonenfis lib. 4. Hist. Francorum c. 5. 6. 7. 11. & 15. Ex quibus sibi

perituet Blondellus, Gallicanam Ecclesiam illo Sæculo sibi minime peritiosus, Episcopos jure divino Presbyteris eminerent. Nam si contrarium credidisset Cato, vir antiqui Juris ex longo rerum usu callentissimus, quid infans, imo petulantius facere potuisset, quam Episcopos (qui videntes eum à Clero, Populoque electum, ut ibi narrat Gregorius, eidem consecrationem offerebant) abigere, atque Episcopalia munia cum Episcopatu præferre? Et secundo: Si Pontifices ipsi Galli hanc Episcoporum majoritatem jure divino media consecratione descendere autem assent, quomodo factum, ut Cautinus Catonis amulus, nullius Divini Juris violati, conculcatorum Canonum, & proditi Pontificum Dignitatis penas ab adversario repositurus; sed, mutata in contrarium veltificatione, Catonem non modo indemnem prælatre conaretur, verum etiam, oblatro Turonenfium Throno, ad insperatos honores invitaret? Quomodo denique Episcopos Provinciales, quorum maxime intererat, ne quid res Ecclesiastica detrimenti pateretur, providere, Catoni nec resisterent coram, nec violatum ab eo Jus Divinum, Sacrosque Canones questis, quin totos 20. annos ad Clavum sedentem cum Cautino, à Collegis ordinato, luctari passi sunt?

106. Resp. Nego Blondelli hypothese, quod scilicet absque nova consecratione & ordinatione Episcopalia munia obiverit Cato, & quod eam minime necessarium divino jure Gallicana existimaverit Ecclesia. Nihil enim hujusmodi ex Gregorii Turonenfis historia extendi potest. Nam 1. scribit S. Pater, Catonem, post Cleri electionem, Ecclesie bona in suam potestatem redegeisse, *tantum si jam esset Episcopus.* Nihil igitur sola Clericorum electio sine consecratione fecerat Episcopum. 2. Episcopos, qui S. Gallo jura persolverant, *Catoni Presbytero discissa: Veni, consenti nobis, ut benedictis consecremus te ad Episcopatum.* Itaque consecra-

secre-

secrationem necessariam iudicabant, ut ex Presbytero quis fiat Episcopus. Episcopis valere iulius, ait Cato: *Nam ego canonicè assumpturus sum hunc honorem.* Quisnam autem canonicus illum honorem assumendi modus, præter ordinationem? ut tota Gregorii testatur historia. Id tamen non fecit; sed designatus tantum, non item ordinatus Episcopus, cunctis quidem præerat, imo intentabat minas; sed *usurpata*, non legitima potestate. Nullam tamen sacrarum functionum, puta Confirmationis, Ordinationis, aut Consecrationis Chrismatis consecisse legitur. Imo ipsam non se gessisse pro Episcopo, colligitur ex verbis; quibus ipsum Cautinus Archidiaconus compellavit, referente Gregorio: *Ego ad Regem pergam, & Episcopatum tibi obtinebo, nihil petens, nisi ut promerear gratiam tuam.* Nondum igitur erat, nec agnoscebat Episcopus. Perlatum est interim Nuatium ad Regem de morte S. Galli Arvernenfium Præsulis, quod ille inaudiens, Cautinum per Episcopos Arvernesium Antistitem ordinari curavit. Quo in loco S. Gregorius Catonem semper *Presbyterum*, quia nimirum necdum ordinatus fuerat; Cautinum vero Episcopum vocat: dumque pergit narrare, Clericorum partem à Cautino avulsam Catoni adhasisse, dirumque Schisma constat fuisse; Catonem semper *Presbyterum* rebellem, suaſu Grandium Cautino Episcopo subdolenstem, appellat. Qui tandem pœnas superbie suæ dans, dum respuit ordinari Episcopus Turonis, & tandem peteret ordinari Arvernis, ac hoc ipsi à Rege denegato, in prius resecta Cathedra Turonenſi, utriusque Cathedralæ spe excidit, perpetuo à Rege & aliis appellatus *Presbyter*. Et hoc quantum ad primam illationem. Quantum ad alteram, incredibile videri non debet, quod Gallicani Episcopi, Catonis, non quidem Pontificalia munia obeuntis, ut fingit Blondellus, sed impotentis ambitione (quam larva Sanctitatis insiguis hypocrita coloravit) ad Episcopa-

tum inhiantis, & adversus proprium conspirantis Episcopum, nimirum Cautinum, superbiam & insolentiam non compresserint, & quod Cautinus nullas ab eo violatorum Canonum pœnas exegerit; nam Cautinus eum metuebat, ut qui specie sanctitatis magnam sui famam excitasset, ac factionem haberet Arvernis. Episcoporum vero in Gallia tum summa fuit ignavia, & vix ullum erga Discipulnam Ecclesiasticam studium. Enim vero, si que in ipsis fuisse Pontificalis animi, ad malum ex Ecclesia auferendum, fortitudo, non modo Catonem ad Officium revocassent, sed totam Catoquam severitatem in Cautinum ipsum dilirinxissent, Judæis deditum, ac subditum, ebriosum, avarum, &c. quemadmodum illum LL. cit. atro carbone depingit Gregorius.

107. Objicit XXVI. historiam S. Briccii apud Greg. Turonensem lib. 2. Hist. Francor. c. 1. ex qua infert Blondellus, ipsi stupri insimulato, ac Sede Turonenſi pulſo, alios duos Episcopos substitutos fuisse, nulla mentione facta vel totius Lugdunensis tertæ, vel vicinarum Diœceseon Synodi coactæ, aut Episcoporum vicinarum, qui eos consecrarent, convocationis: soli ergo Turonenses ipsos electione nuda Episcopos fecerunt.

108. Resp. argumentum hoc negantium nihil probare. Esto enim hujusmodi ordinationis non meminert S. Gregorius; eam tamen contigisse ex eo constat, quod lib. 10. c. 31. Justinianum, qui primus in locum S. Briccii à Turonenſibus electus fuerat, scribat ordinatum: *Expulso eo (Briccio), iniquens, Justinianum Episcopum ordinaverunt.*

109. Objicit XXVII. Blondellus formulam Episcopalis Consecrationis, quæ in Concilio Carthagineusi IV. Can. 2. & in Sacramentario S. Gregorii legitur, sub hoc tenore: *Episcopus cum ordinatur, duo Episcopi ponant, & teneant Evangeliorum Codicem, & uno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes Episcopi,*

qui

qui adsunt, manibus suis caput ejus tangant. Hoc facto, accipiat Patenam cum oblati, & Calicem cum vino, & det ei, dicens: *Accipe potestatem offerre Sacrificium Deo, Missamque celebrare, tam pro vivis, quam pro defunctis.* Ex qua infert, eandem Episcopi & Presbyteri esse ordinationem ex ritu antiquæ Ecclesiæ, novas dumtaxat ceremonias; & consequenter æqualem utriusque Ordinem & Potestatem.

110. Resp. Blondellum hac in objectione in duo historiarum capita graviter impingere; neque enim in Canone 2. Concilii Carth. 4. apud Coletum tomo 2. Collect. Concil. quæ est ultima & accuratissima col. 1437. nec in Sacramentario Gregoriano edit. Muratoriz de An. 1748. col. 439. habentur ea, quæ de traditione Calicis & Patenæ in ordinatione Episcopi ab eo referuntur, nec in ordinatione Presbyteri traditio horum instrumentorum, juxta idem Sacramentarium col. 429. tamquam ad substantiam consecrationis pertinens adhibetur; sed ut aliquid Ordinationem consequens, ut ex antecedentibus ibi, atque ex dictis hoc Lib. Tit. 11. N. 16. 19. aperte constat. Et Orationes pro consecratione Presbyteri & Episcopi in dicto Sacramentario omnino sunt diversæ. Pessimam proinde Blondellus infert consequentiam. Et certe, si eadem esset Ordinatio Presbyteri & Episcopi, idem Ordo & Potestas, juxta Concilium Carth. 4. & Sacramentarium Gregorii M. stulte omnino Concilium Carth. utriusque consecrationem diversis Canonibus, nimirum 3. & 4. diversisque ritibus peragi sanxisset; stulte Gregorius M. in Sacramentario suo vestigia hujus Concilii præfisset. Coincidit fere Responſo Nat. Alexandri ad hanc Blondelli objectionem. In hoc autem videtur hallucinari, nescio unde deceptus egregius Author, quod asserat, illam instrumentorum traditionem cum solemnî formulæ, *Accipe potestatem, &c.* in Sacramentario Gregorii legi, non quidem in ordinatione

Presbyteri, sed Episcopi; cum in novissima Muratorii editione (quam accuratam judico) non in ordinatione Episcopi, sed Presbyteri pag. 429. exiter. Actum itaque egit, dum Blondello, qui æque deceptus parabat in Concilio Carth. 4. & Sacramentario Gregorii pro Ordinatione Episcopi præscribi traditionem Calicis & Patenæ sub relata formulâ, qualiter nunc adhibetur in consecratione simplicis Presbyteri; inde intulit, utriusque eandem esse Ordinationem, Ordinem, & Potestatem; respondit, eam formulam ideo esse usurpatam, non quod alia potestas hac inauguratio Episcopo non conferatur, quam Presbytero; sed quod Sacrificium primum conveniat Episcopo, deinde Presbytero: cum consequentia Blondelli seipsa concidat, eo quod falso supponat, & hanc formulam cum dicta instrumentorum extradiatione in Concilio Carth. sæculo IV. pro consecratione Episcopi fuisse traditam, & quod post Concilium Carth. (in quo nec pro Consecratione Presbyteri adhibita fuit Tit. 11. N. 16.) in Sacramentario Greg. sæculo VI. tamquam ad substantiam ordinationis Presbyterialis (ut nunc probabilissime) pertinens fuerit præscripta (ibi N. 19.); utrumque enim falsum esse ex ipsis fontibus, ab adversario citatis, demonstravimus.

111. Objicit XXVIII. Historiam Ecclesiæ Scotorum, de qua scribit Joannes Fordonus Scot. Chron. lib. 3. c. 8. *Ante Palladii adventum habebant Scoti Fidei Doctores, ac Sacramentorum Ministratores Presbyteros solummodo, vel Monachos, ritum sequentes primitivæ Ecclesiæ.* Hi, teste Hectore Boetio Scotor. hist. lib. 6. fol. 92. vocabantur Presbyteri & Monachi Cultores Dei: idque nomen adeo apud vulgus invaluit, ut Sacerdotes omnes ad ipsius fere tempora vocati sint *Caldeis, Coldeis, aut Keldis.* Ex his ergo Caldeis, teste eodem lib. 7. fol. 128. à Victoris Papæ I. A. 197. temporibus, usque ad A. 430. quo primum à Cælestino Urbis Pontifice



nice ordinatus est Palladius, ex Populi suffragiis Pontifices assumebantur.

112. Resp. Ex eo, quod Scoti à Presbyteris ad fidem conversi, & in ea diu conservati fuerint, non sequi Presbyteros æquales esse Episcopos (eandem enim sortem ultimis his sæculis etiam nactæ sunt Indiæ tum Occidentales, tum Orientales); cum neque ex Auctoribus, quos laudat Blondellus, neque ex aliis monumentis erui possit, Culdeos hocce Ordinationes Sacras non celebrasse. Nec ex Hectore Boetio habetur, Scotos usque ad Cælestini I. tempora nullos Episcopos habuisse; sed quod ex Culdeis & Monachis sibi eligerent Pontificem, qui ad vicinarum Ecclesiarum Episcopos consecrandus procul dubio mittebatur: Palladium autem primum fuisse, qui contra priscum morem aliunde, quam ex Culdeorum Collegio, assumptus est.

113. Objicit XXIX. Ecclesiæ Britannicæ historiam, nimirum, ex Beda lib. 3. c. 3. 17. 21. 24. 25. & 26. Ex quibus probat, Bedam narrare, circa A. 634. (post quem non diu natus est, A. scilicet 673.) feliciter ducta ab Hyenibus Presbyteris, seu Monachis ex Insula Scotica Hy, propagine Fidei Christianæ in Angliam, atque fundata per Nordhumbriam, Midde-langliam, Merciam, & Eastangliam ex parte, Ecclesia, à majoribus natu, Conventu Seniorum, Monachorum, cui Segenius Abbas, & Presbyter præfuit, Collegio, Aidanum, Finanum, Colmanum, Tudam missos, destinatos, ordinatos, accepto Episcopatus Gradu, per annos continuo 30. Lindisfarnensem Ecclesiam rexisset. II. Middeangles Diocæsiam à Finano præfectum, postea Ceollach, & Trumhere ab Hyenibus consecratos, Successores habuisse. III. Eastanglos Cædæ à Finano consecrati fidei commissos. IV. In finitimis Provinciis & vicina Gallia Episcopos non defuisse, qui rudibus Populis Antiquitates consecrarent. Hoc tamen non obstante V. tota libertate usos Reges, Popu-

losque ad fidem recens conversos, Scotos Presbyteros vicinis quibuscumque Præfiliis antetulisse. Prima Blondelli ex historia Bedæ illatio. VI. Qui Scotos Presbyteros ultra sortem propriam profectos vel secum mulsitaret, repertum neminem: quod vel invitis extorqueat, nondum Bedæ ætate natos, qui ademptam jure divino Presbyteris ordinationum, aliarumque Episcopis reservatarum functionum potestatem somniarent. Secunda Blondelli ex eadem historia sequela.

114. Resp. Scotos, à quibus nominati à Beda ordinati sunt Episcopi, Presbyteros meros non fuisse, sed Episcopos; quamvis ex Hyenibus Monasteriis plerique assumpti essent. Nam Episcopos in Scotia fuisse constat ex ep. Laurentii, Melliti, & Justii, qui à S. Augustino Anglorum Apostolo sæculi VI. fine, vel VII. initio fuerant ordinati Episcopi, ad Scotos, quæ sic inscribitur: *Domini charissimis fratribus, Episcopis, vel Abbatibus per universam Scotiam, Laurentius, Mellitus & Justus Episcopi, Servi Servorum Dei.* Eandem veritatem probat Natalis Alex. hic ex epist. Joannis IV. Rom. Pontificis *ad Episcopos Scotos* Thomianum, Columbanum, Chromanum, Dimanum, & Bathanum; item Presbyteros Chromanum, Hermanum, Laustranum, &c. sæculo VII., de quo currit Blondelli objectio data, in qua Presbyteros ab Episcopis aperte distinguit. Qui ibi ex eodem Beda tam amplum Hyberniæ, quæ à Scotis tum incolebatur, itemque Angliæ Antiquitatum, à quibus Episcopi Scoti ordinari poterant, catalogum texit: ut Blondello vel invito extorqueat, Bedæ ætate non tantum natos, sed adultos fuisse, qui Episcopos non tantum à Presbyteris distinctos, verum etiam *Ordine & Jurisdictione majores* non tantum somniarent, sed hinc viderent.

115. Objectio postrema Blondelli petitur ex S. Hilario Arelateni in vita S. Honorati, ejusdem Ecclesiæ Archiepiscopi, ubi

de

de eo ita scribit: *Apparuit illic, nempe in Lirinensi Insula, Presbyter non duplici tantum, sed multiplici honore dignissimus, coram quo nullam Sacerdotii distantiam, nullum nominis privilegium Episcopatus agnosceret. Nemo unquam Episcoporum sibi tantum usurpavit, ut se Presbyteri illius collegam computaret.* Ex quo colligit: Inter Presbyteros & Episcopos nullam, si jus divinum spectes, realem, sed nominalem tantum Sacerdotii distantiam intercedere, Episcopatum merum nominis privilegium esse, soloque nomine asgeri, qui humano instituto ex Presbytero in Episcopum crevit.

116. Resp. falsas esse Blondelli illatio-

nes. Comparat enim S. Hilarius Arelateni S. Honoratum, adhuc Presbyterum; cum Episcopis, non quantum ad *Ordinem & Dignitatem*, quasi pari cum illis honoris & dignitatis consortio præditus esset, illisque jure divino æqualis; sed quantum ad *virtutem & sanctimoniam*, ratione cujus nullus ei se coequare Episcopos auderet. Unde & in subsequentibus Sacerdotium ejus prius summum fuisse ait, non dignitatem quidem, sed sanctimoniam & actibus; nomine vero dumtaxat auctum videri, quia virtutibus Pontificiis adhuc Presbyter conspicuus erat, quarum gradibus ad hoc honoris fastigium ascendit.

Finis Libri primi Decretalium.

